

quod est materiale in speciebus: tamen per modum totius: vt dictum est prius.

Ad primum dico, quod non secundum omne vniuocum fit comparatio: sed secundum speciem a thomam tantum, id est specialissimam, vt ibi dicitur.

Vel aliter, quod vniuocum apud Logicum dicitur omne illud, quod per vnã rationem deuenit apud intellectum, secundum quam dicitur de multis: apud Naturalem non est omne tale: sed tantum quod est vnum secundum vltimam formam completiuam: vnde dicitur, se primo Physicorum: in genere multa latent æquiuocationes: quod athen Logicus non concedit. Vnde si dicatur, secundum omne vniuocum fieri comparationem: intelligendum est tantum de vniuoco secundum Naturalem; quod est tantum species specialissima: non de omni vniuoco quoad Logicum, quomodo genus est vniuocum.

Ad secundum dico, quod maior est vnitatis in re, à qua sumitur vniuocatio speciei, quam à qua generis: quia ibi est vnitatis formæ completiue, hic tantum alicuius materialis, & incompleti. Vnde ad formam dico, quod duabus speciei vnitatis ibi enumeratis est genus vnum, sed tertia omittitur, in qua species excedit genus.

Ad tertium dico, quod ibi est æquiuocatio: quia secundum se, potest sumi esse diuise, siue solitarie: vt sumitur, per se in tertio modo: siue excludendo aliam causam: & omnibus his modis maior est vera, & minor falsa. Alio modo sumitur, secundum se, prout quinto Metaph. vt scilicet, opponitur, secundum accidens, quod aggregat in se diuersas essentias, vt homo albus, & tunc ens secundum se est quodlibet habens vnã essentiam: isto modo est maior falsa, & minor vera: & sic intelligit Aristot. quinto Metaphys. quia genus est diuersum per differentias, quæ differentia non accidunt sibi: quia differentia non faciunt vnum secundum accidens cum genere: sed vnum essentialiter.

Ad quartum patet: quia prima propositio: scilicet, genus prædicat totum: sic intelligenda est: scilicet, materiale per modum totius: quod secundum se est vniuocum; & tamen in speciebus formaliter diuersificatur: & ita maior est vnitatis generis in se; quam specierum, in

quantum differunt per differentia: quia nulla differentia est in intellectu generis, nec è conuerso.

Summa textus: simul & explicatio.

Ad explicandam naturam vniuocorum exemplificauit Philosophus in animali, homine, & boue, quæ respectu suorum inferiorum secundum nomen, & rationem, prædicantur: & cum animal sit genus ad hominem, & bouem; quærit Doctor propter hoc exemplum: an genus sit vniuocum suis speciebus: cum alibi dixerit Aristot. in genere latere æquiuocationes. Partem negatiuam probat quatuor rationibus, sed illis non cogentibus.

Dicit primo, genus esse vniuocum prædicatum, & essentialiter speciebus: hanc probat rationibus ad oppositum: & ultra, quia genus prædicatur de speciebus secundum nomen, & rationem: prædicatur enim in quid de illis, tanquam quid potentiale: ergo est illis vniuocum.

Secundo dicit: genus sumi à quodam potentiali in speciebus habente se per modum materiz: hæc super capitulum de genere probata fuit.

Tertio dicit: genus Logicè loquendo est vniuocum: Physicè autem est æquiuocum: habetur solutione ad primum, & quæst. 4. Artic. 4. probata manet.

Tandem soluit argumenta, quorum solutiones clare sunt: & idem, nec de ipsis, nec de assignatis conclusionibus aliquid se se offert discutendum: quia omnia cap. de Genere, & alibi in proprijs locis disputata manent.

1. Conclusio.

2. Conclusio.

3. Conclusio.

QVÆST. VIII.

Verum Denominatiua differant solo casu?

Denominatiua vero dicuntur quæcumque ab aliquo solo differentia casu, secundum nomen habent appellationem: vt à Grammatica Grammaticus: & à fortitudine fortis. Capite eodem.



VAERITVR circa definitionem Denominatiuorum: vtrū differant solo casu: id est sola cadentia à principalibus, à quibus habent denominationem.

an etiam differant in significato? Et hoc est querere: vtrum Denominatiuum idè significet, quod Abstractum: scilicet, formam tantum: vel aliud, vt subiectum. Quod significet subiectum, videtur: quia significare est intellectum constituere, per Aristot. primo Perihermen. cap. de verbo. sed nomen concretum prolatum constituit intellectum subiecti: ergo illud significat. Probatio minoris: constituit intellectum accidentis: & illud, impossibile est, intelligere sine subiecto: tum quia impossibile est ipsum esse sine subiecto: & vnumquodque, sicut se habet ad esse, sic ad veritatem, idem ad cognitionem veram, secundo Metaphysic. tum, quia substantia est primum omnium cognitione per Arist. septimo Metaph. ergo nihil significatur sine illa. Per hoc etiam probatur, quod subiectum primo significatur: quia illud primo intelligitur prolata voce: quia accidens non potest sine illo intelligi: & illud est prius cognitionem Accidente per Aristot. septimo Metaph.

Tex. com.

4.

Tex. com.

4.

Tex. com.

4.

Text. 35.

Tex. com.

28.

Tex. com.

4. & inde

Item, terminus idem significat, quod supponit: sed terminus accidentalis concretus supponit subiectum: ergo, Maior patet: quia terminus supponens, ex hoc, quod supponit, non habet nouum significatum. Probatio minoris per Aristotelem primo Poster. hæc est per accidens: album est lignum: quia significatur, quod illud, cui accidit album, est lignum: igitur illud, cui accidit album, vt subiectum, ibi supponitur per album.

Item, idem significat nomen, & definitio, quarto Metaph. ratio, quam significat nomen, est definitio: sed definitio concreti habet in se subiectum, & Accidens: igitur nomen hoc significat: terminus patet per Aristot. in septimo Metaph. dicentem, quod Accidens definitur per substantiam.

Item, dictio exclusiua excludit quodlibet, quod est extra per se significatum termini, sed talis dictio exclusiua addita termino concreto non excludit subiectum: igitur, &c. probatio minoris: si dico, tantum album currit: non excludit corpus currere: quia includitur. Probatio: sequitur, tantum album currit: igitur album currit: & ultra, igitur corpus currit: igitur à primo ad vltimum: & ita corpus non excluditur.

Item, hoc videtur per auctoritatem

Commentatoris super primo Physico. Com. 25. ram, vbi dicit: quod nomen concretum significat formam, & susceptum. Et 2. Metaph. dicit Commentator, quod significat ambo. Com. 34.

Item, Aristot. in septimo Metaph. dicit, quod in diebus secundum accidens non est idem quod quid est cum illo, cuius est, propter duplex significare: vt nificum, & album: igitur, huiusmodi significant duo.

Ad oppositum est Aristot. hic dicens, quod Denominatiua differunt solo casu à principalibus: ergo non significant: sed Abstracta non significant subiectum: quia tunc non essent in aliquo genere: ergo nec Denominatiua.

Item inferius, cap. de substantia dicit: quod album solam qualitatem significat.

Item, Commentator 5. Metaph. dicit Aristotelem velle, quod tantum significet formam: & ratio huius est, quia aliter esset nugatio addendo accidens cum subiecto: quod videretur inconueniens: consequentia patet: quia ponendo rationem concreti loco nominis, idem subiectum bis diceretur.

Item, si concretum significet subiectum igitur hæc, album est lignum, esset secundum se: quia subiectum quoad suum significatum natum esset per se supponere: & prædicatum esset de esse subiecti: e conversens tamen est falsum, per Aristotelem 1. Posteriorum, Com. 4.

Item, Si album significet subiectum & accidens: sicut homo albus: igitur esset secundum accidens: quod videretur esse contra Aristotelem 5. Metaph. quia diuidit ibi ens secundum se in decem genera. Tex. 35.

Item, si concretum significet subiectum, tunc non diffiniretur per additamentum: consequentia patet: quia tunc quidquid poneretur in eius diffinitione, esset de ratione essentiali eius: consequens est contra Aristot. septimo Metaph. Tex. com. 14.

Item, impossibile est rebus diuersorum generum generalissimorum esse aliquam rationem substantia communem: igitur nomen significans talia duo non potest esse vniuocum: sed subiectum, & accidens, sunt diuersorum generum: ergo si concretum vtrunque significaret, esset simpliciter æquiuocum: quod non videretur conueniens: quia tunc nulla propositio simpliciter esset vera, in qua ponitur

Com. 25.

Com. 34.

Com. 4.

Tex. 35.

Tex. com.

14.

Tex. com.

13. & circiter.

nitur concretum: nulla etiam in eis esset contradictio, nulla consequentia: passio etiam non posset demonstrari de suo subiecto; cum sit concretum: & in demonstratione non est aliquid æquiuocum, per Aristotel. 1. Posterior. Hæc omnia videntur inconuenientia (& contra Aristotel. & quartum specialiter 1. Posteriorum.)

Text. 26.

Ad questionem dicendum: quod si contingat subiectum, & accidens vnico actu intelligere, & cõposito ex eis vnũ nomen imponere, sicut toti historię Troianę hoc nomen, Ylias, illud nomẽ non significat vtrumque sub propria ratione, nec est concretum concernens aliud à suo significato: nullũ autem nomen potest vtrumq; significare sub propria ratione, nisi sit æquiuocum. Inconueniens autem est concedere omne nomen concretum esse æquiuocum: quia periret finis sermonis: quia vix posset aliquis determinatum conceptum exprimere. Ideo dicendũ, quod nomẽ concretum non significat proprie subiectũ; sed tantum formam.

Diceretur forte, quod non esset æquiuocum: quia non significat vtrumque sub propria ratione: sed formam in quãtum informans; & subiectum in quantum informabile.

Contra: quod non significat aliquid sub propria ratione, non significat illud sicut ille, qui non intelligit aliquid sub propria ratione eius, non intelligit illud: ergo esset dicere simpliciter non significare subiectum.

Item, propria ratio subiecti est ratio informabilis: igitur nomen significans illud sub ratione informabilis, significat illud sub propria ratione: & ita duo opposita dicerentur in illo sermone.

Cap. 7.

Verumtamen propter argumenta intelligendum, quod licet accidens non sit sine subiecto: est tamen in se quædam essentia distincta ab essentia subiecti; licet non adeo perfecta: nam per Aristot. 1. Topicorum, in omni genere est reperire quid. Similiter nisi esset essentia distincta in se, non esset per se in alio genere à subiecto: quod manifeste falsum est: quamlibet autem essentiam contingit sub ratione propria intelligere, & etiam significare: & tali modo intelligendi correspondet modus significandi abstractus. Alio modo contingit intel-

ligere istam essentiam; in quantum informat subiectum: & huic modo intelligendi correspondet modus significandi concretus. Sicut igitur eadem essentia intelligitur sub vtroque modo intelligendi, sic idem significatur per nomen concretum, & abstractum; sed sub diuerso modo significandi: sed propter istum modum significandi forte dicitur, subiectum cõintelligi, non tanquam intraneum illi intellectui per se, sed tanquam ad quod dependet intellectus sub tali modo intelligendi.

Ad primum argumentum principale dico: quod sicut aliquid cõstituit intellectum alicuius, sic illud significat: nomen autem concretum non principaliter constituit intellectum subiecti: sed tantum ex hoc, quod illud, cuius primo intellectum constituit sub tali modo intelligendi ad subiectum dependet: & ita significat ipsum: hoc est ex tali modo significandi dat intelligere: quod non est significare, vt nunc loquimur de significatione, quæ est representatio alicuius ex impositione.

Ad probationem minoris, cum dicitur: impossibile est accidens intelligi sine subiecto, dico impossibile esse intelligi Accidens esse sine subiecto: ita quod sine subiecto, dicat modum intellecti: alio modo potest accipi, vt dicat modũ actus intelligendi: sub hoc sensu impossibile est intelligere Accidens sine subiecto: id est sine hoc, quod subiectum intelligatur: & tunc concedendo illud, potest responderi secundum prædicta: nisi subiectum intelligatur, nõ vt per se intra intellectum Accidentis; sed vt illud ad quod dependet intellectum: & sic significatur.

Alio modo potest dici, quod Accidens non potest intelligi sine subiecto: id est complete cognosci: quia ex eisdẽ est aliquid, & cognoscitur: tamẽ potest cognosci, & intelligi quod dicitur per nomen non cognito subiecto: sicut species non cognoscitur, quid est simpliciter, non cognito genere: tamẽ cognoscitur quid dicitur per nomen sine cognitione generis: vt exemplificat Thomastius supra librũ Posteriorum: quod si dicatur puero, adduc equum, non adducit bouem, sed equum: & ita cognoscitur, quid dicitur per nomen, sed quid est per genus, & differentiam non cognoscitur.

cit. Et idem habetur ab Aristot. in principio primi Physicorum, quod diffinitum prius cognoscitur diffinitibus: sic in proposito: potest Accidens cognosci ea cognitione quid dicitur per nomen, non cognito subiecto, & ita cognitio confusa iussit, vt significetur: hoc modo dicendo posset saluari, quod nomen abstractum significat subiectum, etiam eo modo, quo concretum; de quo est dubium: videtur tamen propter probationes minoris supra positas, quod nomen abstractum det intelligere subiectum: sed non similiter: quia concretum in recto, abstractum in obliquo. sicut subiectum diuersimodẽ ponitur in diffinitione vnus, & alterius: & tunc non est modus significandi concretus principium intelligendi subiectum, sicut supra dictum est: sed ipsum, quod significatur propter dependentiã eius ad subiectum.

Si obijciatur contra hoc: quia Abstractum significat formam sub propria ratione: igitur non in quantum dependet ad subiectum: ergo non dat intelligere subiectum.

Dici potest, quod propria ratio formæ accidentalis est esse subiecti: & ita stant simul, quod significetur sub propria ratione, & sub modo, vt est subiecti. Hoc videtur probabilius, quam dicere, quod modus significandi concretus sit principium intelligendi subiectum: quia aliter in diffinitione Accidentis abstracti non oporteret ponere subiectum, quod est contra Aristot. septimo Metaph. vbi dicit, quod substantia est prima omnium diffinitione: quia in diffinitione omnium ponitur, & non e conuerso.

Text. com.

4.

Et cum obijciatur, quod subiectum primo significatur: quia illud primo intelligitur per vocem.

Dici potest, quod aliquid primo intelligi per vocem est dupliciter, aut sine quo non; aut primo ex intentione imponentis: primo modo potest subiectum primo intelligi: quasi sine quo non intelligitur Accidens. Secundo modo non intelligitur subiectum primo: sicut primo intelligitur per hanc vocem homo, animal; tanquam sine quo non intelligitur homo, sed non primo quoad intentionem imponentis, vel proferentis.

Aliter potest dici vt supra, quod non oportet subiectum intelligi ad intel-

ctum Accidentis, quid, scilicet, dicitur per nomen, licet oporteat quoad completam cognitionem Accidentis.

Ad secundum principale concedo, quod terminus illud supponit, quod significat: sed non semper pro eo supponit, quod significat, sed tantum supponit significatum: pro significato, quado est suppositio simplex: sicut in suppositione personali, commune supponit pro suppositis; & non suppositum: quia non significat suppositum. Ad minorem dico, quod terminus concretus supponit pro subiecto, sed non subiectum. Ad probationem dico, quod hæc est per accidens: alibi est lignum: non quia album supponit subiectum: quia illud est natum supponere, & tunc si illud supponeretur, esset prædicatio per se: quia supponeret, quod natum est supponere, sed est per accidens: quia significatum albi, quod est accidens non est natum supponere per se, & respectu talis prædicati, sed supponit pro eo, cui accidit.

Contra hoc videtur, quod cum dicitur, album est lignum, in hoc significat, quod cui accidit album, est lignum, quod non esset verum, nisi illud, cui accidit album, esset illud, quod supponitur, & nõ tantum pro quo, non enim potest verè dici, hanc: homo currit: significare Sortem currere, licet homo supponat pro Sorte.

Ad hoc dicitur, quod hæc propositio: album est lignum, significat lignum in esse albo, non tamen pro se, sed pro eo, cui accidit: & ita debet intelligi auctoritas Aristotelis: significat enim, quod cui accidit album, est lignum, non tamẽ quod supponit, sed pro quo: sicut communiter dicitur, quando subiectum non est natum pro alio supponere respectu prædicati, quam pro hoc: dicimus, quod prædicatum significatur hinc inesse, vt hic: homo currit, quod currere significatur inesse supposito: licet hoc non habeatur ex prima significatione sermonis: sic, cum album respectu talis prædicati, lignum, non sit natum supponere, nisi pro subiecto, dicitur prædicatum significari ei inesse.

Ad tertium dicitur, quod est duplex diffinitio: vna simpliciter, quæ est habentis quod quid est simpliciter, vt substantiæ: & ita diffinitio tantum habet genus, & differentiam, quæ sunt intra per se intellecte-

tellectum speciei: & de illa est maior vera, & probatio eius de 4. Metaphysicæ. Alia est diffinitio per aditamentum: vbi, scilicet aliquid additur præter essentialia diffiniti, & talis est Accidentium: quia enim Accidentia non cognoscuntur complete sine subiecto; & diffinitio datur causa completæ cognitionis habendæ: ideo non definiuntur sine subiecto: sed quia talis diffinitio aggregat in se aliquid non de essentia diffiniti: ideo plus significat, quam nomen diffiniti: & de tali non est maior vera, nec eius probatio.

Ad quantum dico, quod maior est falsa, quando quod excluditur, comparatur ad reale prædicatum: tunc enim non excluditur, nisi diuersum ab eo respectu prædicati: quia syncategoremata disponunt subiectum in comparatione ad prædicatum: respectu autem prædicati realis non est subiectum diuersum ab accidente concreto: ideo non excluditur: vnde dicitur communiter, quod exclusio non semper excludit aliud secundum essentialiam, sed secundum esse: quod maxime est verum respectu realis prædicati.

Ad auctoritates Commentatoris, intelligendum est significare extensiuè pro dare intelligere: quia aliter esset contrarius sibi 5. Metaphysic.

Ad auctoritatem Aristotelis intelligit de homine albo, & huiusmodi, de quibus proposuit dubitationem in principio capituli: illa enim sunt entia secundum accidens, secundum ipsum in 5. Metaphysic.

Contra positionem sic arguitur: si album idem significet, quod albedo: sed sub modo concernentis, vel denominantis: ergo de quo dicitur album, vt de homine; de eius dicitur interpretatio eius scilicet albedo, & concernens: quod non videtur verum.

Hic potest dici: quod illa non est interpretatio albi: quia album tantum significat formam sub vno modo significandi: sed hoc totum, albedo vt concernens: significat formam sub duobus modis oppositis: quia albedo significat formam sub vno modo: & vt concernens, dicit alium oppositum modum. Si autem queratur, quæ est interpretatio huius nominis, album: non est possibile dari, nisi per aliquod nomen posset forma tā-

tum significari sub vno modo significandi: quod non est possibile: forte addit hoc modo, vt concernens, &c.

Summa textus.

VM certum sit apud omnes tria in quibus denominatione reperiri, denominans, denominatum, & denominatiuum: denominans est forma per nomen abstractum importata, vt albedo: denominatum est, quod a tali forma denominatur, vt corpus, quod albedine album denominatur: denominatiuum est ipsum concretum importans tam formam, quam subiectum, vt album: & de istis denominatiuis datur præfata diffinitio: circa quam interrogat Subtilis Doctor: an concretum, & abstractum idem significant: v.g. an sicut albedo significat tantum naturam albedinis, sic album significat tantum ipsam albedinem: an etiam subiectum quod album ab albedine denominatur. Partem affirmatiuam probat sex argumentis satis apparentibus; quibus non obstantibus apponit suam conclusionem, dicens.

Nomen concretum non significat proprie subiectum, sed tantum formam: hanc probant omnia argumenta ad oppositum.

Tandem soluit argumeta prius pro eorum solutionibus vnum pulchrum notabile præmittens: de quibus in 2. artic. amplius agemus.

ARTIC. I.

An diffinitio denominatiuum sit bona?

NEGATIVA pars potest suaderi tribus primis argumentis, quibus 5. diffinitio æquiuocorum impugnata fuit: & præterea suaderet sic: nam hæc diffinitio conuenientia diffinitio: ergo non est bona. Antecedens probatur: nam secundum omnes hic tantum diffiniuntur denominatiua accidentaliter: vt etiam docet Doctor super vniuersalia q. 4. de genere ad 2. & in 2. sentent. distinct. 12. q. 1. ad primum: & tamen hæc diffinitio conuenit concretis substantialibus: homo enim solo casu differt ab humanitate: imo Doctor locis citatis, & q. 3. 4. & 5. quodlib. & in 3. distinct. 7. q. 1. talia concreta appellat denominatiua; ergo prædicta diffinitio conuenit alijs a diffinito.

Pro intelligentia notandum primo contra Nominales: quod sicut in diffinitionibus vniuocorum, & æquiuocorum, non sunt diffinita nomina vniuocantia proprie, nec æquiuocantia, sed vniuoca vniuocata, & æquiuoca æquiuocata: sic in præfata non diffiniuntur nomina denominatiua, sed denominatiua: de quorum diffinitione ita philosophandum est, sicut de vniuocorum, & æquiuocorum diffinitionibus diximus.

Secundo notandum: quod sicut denominans proprie apud logicum est idem quod abstractum

Conclus.

1. Not.

2. Not.

apud Metaphysicum; & denominatiuum idem quod concretum, quæ nomina apud grammaticum per primitiuum, & derivatiuum explicantur: ita sicut duplex est abstractum per Doctorem locis citatis, aliud a supposito, seu inferiori: aliud a subiecto (de abstracto enim a fundamento de quo Doctor in 1. distinct. 5. q. 1. non est ad rem) exemplum primi, vt humanitas: exemplum secundi, vt albedo: sic duplex est concretum: aliud quod dicit concernentia ad supposita eiusdem naturæ, & quidditatis, vt homo: aliud quod dicit concernentia ad subiectum, seu suppositum alterius naturæ, vt album: primum genus concretorum dicitur denominatiuum large: secundum vero stricte, & proprie.

1. Corol. Ex quibus inferitur primo: Omne denominatiuum esse concretum, sed non e contra: nisi denominatiuum large sumatur.

2. Corol. Inferitur secundo: duplicem esse prædicationem denominatiuum: alteram large sumptam, vt homo est animatus: alteram strictam, vt homo est albus.

3. Notand. Tertio notandum: diffinitionem denominatiuum sic communiter explicari: denominatiuum, quæ græce paronyma dicuntur, ea sunt, quæ ab alijs, scilicet, abstracto, appellatione accipiunt, vt candidum a candore, a quo solo casu, id est syl labarum cadentia, seu terminatione vocabuli, discrepant. Quare inferunt sic glossantes denominationem in triplici differentia esse: quædam secundum vocem tantum, vt studiosus, & studium: conueniunt enim in principio dictionis, & differunt in significato: nam studium significat exercitiu, & laborem: & studiosus significat virtuosum; quædam secundum rem tantum: vt studiosus, & virtus: conueniunt enim in significato, & differunt in voce: quædam tandem secundum rem, & vocem, simul, vt albus, & albedo: & de his, inquit sic glossantes, intelligitur diffinitio tradita. Cæterum hac expositione, quia nimis nominalis videtur, non est contentus subtilissimus Præceptor: quare q. 4. de genere, & in 2. vt supra, sic hæc diffinitione glossat: denominatiua dicuntur quæcumque concreta, quæ a suis abstractis solo casu, id est cadentia, seu inclinatione formæ ad subiectum, differunt. Vnde casus ibi non solum pro cadentia vocis terminaliter: sed pro significato, & modo significandi, ipsius vocis interpretari debet: album enim, & albedo, non solum differunt in vocum terminatione, sed etiam quia albedo significat naturam albedinis sine concernentia ipsius albedinis ad aliquod subiectum: at vero album significat ipsam concernentiam subiectum, & ita in modo significandi differunt.

1. Conclus. Dicendum primo: diffinitum in hac diffinitione sunt denominatiua accidentaliter: hæc est communis inter Reales: & conueniunt ex illa particula ab aliquo appellationem habent: hoc est ab accidentaria, & extranea forma: humanitas enim non significat formam alteri adiacentem, & ita homo non dicitur proprie denominatiuum: nec hic debet diffiniri: quia ad intentum Philosophi nihil facit: igitur, &c.

2. Conclus. Dicendum secundo: diffinitio denominatiuum est bona, & sufficiens: hæc a Doctore cum

omnibus supponitur: & patet: tum Aristotelis auctoritate sic denominatiua diffinitis: tum quia per eam, modo a nobis relato, innotescit natura denominatiuum: ergo est sufficiens, & bona ea bonitate, qua supra diffinitiones vniuocorum, & æquiuocorum bonas esse retulimus.

Ad argumeta in oppositum patet: homo enim, licet in terminatione vocis ab humanitate differat, non tamen in cadentia, seu inclinatione formæ ad subiectum: non enim significat humanitatem, tanquam formam inhaerentem subiecto: quod ad verum denominatiuum expositur: & ideo dicitur denominatiuum large: & ita intelligendus est Doctor.

Ad argum.

ARTIC. II.

An concretum, & abstractum idem significant?

PRÆCIPVVM intentu huius questionis est Articulus iste, in quo prima sententia multis Antiquis, & Modernis plausibilis parte negatiuam tenetur, quæ argumentis in principio questionis adductis roboratur.

Secunda sententia, & affirmans, est Doctoris in præfata: & in 1. distinct. 4. q. 1. solutione ad 4. littera E. & in 4. distinct. 12. q. 1. littera F. Pro cuius intelligentia notandum primo ex Doctore hic, §. ad questionem dicendum: quod Accidens dupliciter considerari potest: primo modo præcise, in sua ratione essentiali, secundum quam distinguitur a substantia, & speciale Prædicamentum constituit: & accidenti, vt sic correspondet modus significandi abstractus: alio modo consideratur, quatenus subiectum concernit: & tunc correspondet ei modus significandi concretus: vnde quædam intelligitur, ubique vnum nomen imponitur, vt album, quod non duplici conceptu exprimitur, nec duplici nomine significatur: id est vt homo albus: sed vnico dum taxat, quod hispanè dicitur blanco.

Secundo notandum ex eodem ibidem, & verum tamen propter argumenta: quod Accidens, vel potest considerari, pro vt dicit inhaerentiam aptitudinalem, & respectu atque ordinem transcendentalem ad subiectum: est enim ex natura sua forma subiecti, & entis ens: vel pro vt actu adiacet subiecto, & illud informat: primo modo consideratur, vt quædam essentia est a subiecto essentialiter distincta: & vt sic cum abstractat ab actuali informatione, dicitur abstractum, & ex modo significandi solam formam significat sine informatione, quod per modum per se stantis vocant, ita vt ex modo significandi non det intelligere subiectum: quia tamen, vt sic, abstractum, & secundum suam essentiam, ordinem transcendentalem dicit ad subiectum: ideo dat intelligere subiectum ex ipsa re significata: quia, scilicet, res, quam per se significat, dependentiam habet a subiecto: & ideo dicit Aristoteles 7. Metaph. in diffinitione accidentis abstracti ponendum esse subiectum.

1. Sentent.

2. Sentent. Doctoris.

1. Notand.

2. Notand.

Secund.